



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXXII. De Lazaro Resuscitato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)



MEDITATIONES

De Vita & Gestis Christi

Quarto Prædicationis Anno.

MEDITATIO CCCLXXXII.

De Lazaro Resuscitato.

Joan. II. V. I.

PUNCTUM I. *Erat autem quidam languens Lazarus Bethania, de castello Martha & Mariæ Sororis ejus. Miserrunt ergo Sorores ejus ad eum (JESVM) dicentes: Domine, Ecce! quem amas, infirmatur. Joan. II. V. I. Deus illis, quos amat, immittit morbos, & alia versa, quæ proin cum gratiarum actione, tanquam ex Amore profecta, suscipienda sunt: & sicut Sorores nihil dubitantes de potentia sanandi, neque de voluntate, si ita expediat, Divinæ Christi Providentiæ ac Sapientiæ rem omnem cum Indifferentiâ & Resignatione in Voluntatem ejus commiserunt, solum nunciantes morbum, non autem petentes subventionem ejus; sic nos easdem in omnibus his imitemur cum pari Fiducia & Resignatione dicentes, in qualibet adversitate: Domine, ecce, quem amas, infirmatur, tentatur, tristatur, tribulatur &c.*

PUNCT. II. *Audiens autem JESVS, dixit eis (Discipulis suis & alijs præsentibus) Infirmitas hæc non*

ad mortem, sed pro Gloria DEI, ut glorificetur Filius DEI per eam. v. 4. Sic adversitates nobis inmissas non credamus esse ad nostrum interitum, vel damnum, vel ad mortem Animæ, etiamsi graviter tentemur; sed ad Gloriam DEI, ex nostra Patientia, Humilitate, Victoriâ tentationis, Auxilio Divino &c. orituram. Pro hac autem libenter sustineamus quæcunque adversa.

PUNCT. III. Diligebat autem JESVS Martham, & Sororem ejus Mariam, & Lazarum. Ut ergo audivit: quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde posthac dixit Discipulis suis: Eamus in Judæam iterum. Dicunt ei Discipuli: Rabbi, nunc quarebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc? v. 5. Sic DEVS Dilectos non statim exaudit, nec statim illis succurrit; sed differt, moratur, dissimulat ferre opem pro majore illorum bono, & occasione Virtutum, ac Gloriâ suâ: in tempore autem opportuno efficaciter & certo juvat; quemadmodum hîc nec propriæ mortis periculo, nec occasione, quæ inde à Judæis sumpta est, ad eum post quatuordecim dies crucifigendum, se inhiberi passus est, quò minus ex Bethabara trans Jordanem, ubi post intentatam sibi lapidationem, teste Joanne c. 10. v. 29. morabatur, in Judæam ad Lazarum resuscitandum, & ad Sorores ejus consolandas rediret.

MEDITATIO CCCLXXXIII.

Continuatio ejusdem Historia.

Joan. II. v. II.

PUNCTUM I. Et posthac dixit eis: Lazarus Amicus noster

A 2